

Georg Rudolph Böhmer

**D. Georgius Rvdolphvs Boehmervs Facultatis Medicae Wittebergensis H. T. Decanvs Dissertationem  
Inavgvalem ... H. L. Q. C. Habendam Indicit Et De Foliis arborum deciduis ... Praemisit**

### **Spec. III**

[Erscheinungsort nicht ermittelbar]: [Verlag nicht ermittelbar], [1797]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863344968>

Band (Druck)

Freier  Zugang




J. Hooper.

Hooper.

Baetmer de fossis decoloris.

Mai 1797.



Nc - 5915. 1. 2. 3.

Caps. Nc. 6



J. Hooper.

D. GEORGIVS RVDOLPHVS

BOEHMERVS

FACVLTATIS MEDICAE WITTEBERGENSIS

H. T.

EX - DECANVS

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM

DIE XVIII. MENS. MAII A. R. S. MDCCIIIIC.

H. L. Q. C.

HABENDAM

INDICIT

E T

*De Foliis arborum deciduis*

SPEC. III.

PRAEMISIT.

Nc - 5915.3. caps. Nd. 6.

Folia in Medicina, culinari aliisque oeconomicis artibus multifarium habent usum. Vegetatio quoque insignem ab iisdem accipit utilitatem, an vero eadem etiam a plantis separata, respectu vegetationis usum praestent, forte erit dubium. Duo autem hic consideranda erunt, primum concernit ipsam defoliationem, hinc tempus, quo decidunt, et secundum folia ipsa, quae iam ceciderunt. Mutationes, quas plantae subeunt, in vegetatione, gemmarum evolutione, florum explicatione et s. p. certo plerumque sunt tempore, ut secundum easdem labores in agris, hortis, satio e. gr. Messis, Foenifecium, arborum tonsio et s. p. solet institui, vti bene docuit LINNAEVS in Philos. Botan. p. 270. sq. Qui etiam ad defoliationem eiusque diuersum tempus, in horticultura praecipue, attendendum esse monuit et exemplis illustravit. E. gr. Fraxini folia dum cecidere, introducenda est Flora Europae australis intra hybernacula; Tiliae folia, dum cadunt, hybernacula sunt claudenda. Vid. Eius Dis. Calendarium Florae in Amoenit. Vol. IV. p. 211... Verum non solum pro differentia Climatis, sed etiam aeris temperie variare solet tempus, atque hinc ab eodem nihil certi determinari potest. Sic etiam ex praecoci et tardiori foliorum lapsu prognosticon, de maiori vel minori futurae hyemis vehementia, desumi neutquam potest, vt nuper clare docuit HEDWIGIVS, in Anz. der Leipz. Oeconom. Gesellschaft, Ostern 1796. p. 63. Certiore et praestantiorum usum expectemus a foliis, quae iam ceciderunt et vel syluarum fundum tegunt, vel in stabulum transportantur. In utroque loco ad vegetabilium vegetationem multum emmiso conferunt. Non nulli quidem existimant, exsucca et arida haec folia neque in stabulis, neque in fimitis, stercori admixta, ad huius multiplicationem aliquid conferre, eumque usum minime praeflare, quem a stramine, quod priori substernitur, obtinemus. Verum nonne hoc ipsum quoque succis destituitur, et nonne aliud quicquam, Animalium scilicet simus, requiritur, quo illud tandem putrefactio- nem, vel aliam mutationem subeat; imino folia, cum fere omnia

ex

■ ■ ■ ■ ■

ex arboribus resiniferis, decidua adhibeantur, resinosas quoque particulas, et hinc principium continent, quod maceratione euoluitur, subtiliusque redditur, quo omnino ager laetificari potest, dum modo non properemus, sed perfectam resolutionem expectemus, antequam agro admisceantur. Citius namque stramen in fuso emolliri et propterea aptius videri, lubenter concedimus. Folia quoque percoribus substrata ideo forsitan aestimari debent, quia halitu resinoso aërem, in stabulis corruptum, corrigunt et salubriorem animalibus reddunt. Vid. Mus. rustic. Vol. I. no. 30. p. 295. et HIRZELII *Wirthschaft eines philos. Bauers*, ed. 2. p. 39. sq. in quo libro stramentum a Pino paratum maximopere commendatur.

Folia quoque, si sola, nullo alio stercore admixto, in sylvis relinquuntur, foecundam constituant terram. Plura saepe eorum strata sibi inuicem incumbunt, diuersis annis orta; hinc illa, quae magis inferiorem locum occupant, eo maiorem quoque mutationem, quoconque nomine eam appellare vellemus, passa et in vegetabilem quasi terram commutata fuerunt, et cum quotannis nouum addatur stratum, huius quoque foecundae terræ magna satis semper aderit copia. Hanc quoque foliorum resolutionem sylvis, ut existimamus, admodum proficiam, non omnes quidem concedere voluerunt oeconomii, vti sunt GLEDITSCHIUS, *Forstwissenschaft*, II. 1540. MOSER, *Grundzüge der Forstökonomie*, II. 572. DOEBEL, *Jägerpraktica* Part. 3. p. 67. RIEM, *Neue Samml. ökonom. Schriften*, Part. 3. p. 300. attamen longe plures nobiscum consentiunt: BVRGSDORF, *Forsthåndbuch* p. 551. HVBE, *Landwirth.* II. 350. Vid. etiam *Forstmagazin*, Vol. IX. p. 48. et *Allgem. Litter. Zeit.* 1795. no. 214. et praecipue BÜFFON, qui in der Allgem. Hist. der Natur, Tom. I. p. 135. scribit: *Wo die Wälder nicht gehauen und Gras und Kraut von dem Viehe nicht gefressen werden, nimmt die Lage von fruchtbarer Erde mit der Zeit sehr zu, selbst in denen, die gehauen werden, findet sich eine Lage von Dünger in der Dicke von 6 bis 8 Zoll, welche blos aus verfaulten Blättern, kleinen Zweigen, und Baumrinuden entstanden ist.* Terra quoque haec vegetabilis, (*Lauberde*) in transplantatione iuniorum arborum, tanquam optimum sterlus, commendatur in *Forstmagaz.* Vol. II. p. 262. et *Schved. Acad.*

\* 2

Abh.



*Abh.* Vol. X. p. 280. Alium porro usum syluae a foliis accipiunt, temperant nempe aestate solis calorem et defendunt hyeme tenerimas radices a frigore; vid. KOEMERI *Neues Magazin für die Botanik*, Vol. I. p. 57. et VSTERI *Annalen*, Part. XVII. p. 37. etiam hoc non ab omnibus conceditur, vid. *Forstmagazin* Vol. V. p. 65. nunquam tamen laudari debet negotium, quod *Streurechen* dici solet, et quo folia ex sylvis remouentur, atque superficies terrae quasi nuda redditur; ut recte monuit GLEDITSCHIUS, libr. cit. Vol. I. p. 479. dum scripsit: *durch das Streurechen wird die Obererde zu leicht entblöset, und die ausstreichende Wurzelsasern, sonderlich vom Nadelholze, beschädiget*, vid. etiam BECKMANN, *über die Holzaat*, p. 215. et Vol. II. p. 252. Praeter haec autem commoda, quae a foliis deciduis in ipsa redundant vegetabilia, aliis quoque domesticis usibus inferuiunt. Cum iisdem, e. gr. mollioribus, ast bene exsiccatis, puluinaria stupare, fructusque horraeos iisdem inuolutos diu integros conseruare, possumus, si vero illa huincētantur, comprimuntur et arctiori spatio includuntur, calorem recipiunt, et seminum vegetationem in caldariis accelerant, quercusque folia, loco corticis, ad coria praeparanda adhibere solemus. Conf. Mus. rust. Vol. I. p. 299. sqq.

Plantae, earumque variae partes, folia in primis, maximum rei tinctoriae apparatum constituunt. Vid. *Technische Pflanzengeschichte*, Tom. II. a p. 19 ad 321. et cum haec in viridi statu diuersos admodum exhibeant colores, existimabam, eosdem quoque, forsitan et alios a deciduis foliis obtineri posse, itaque feci periculum et cum nonnullarum arborum foliis experimenta institui, horumque decoctum cum et sine alumine paratum et filtratum cum Gossypis, Lineis Sericeis et Lanceis filamentis, antea cum Alumine, Cineribus Clav. Vitr. Martis, Solutione Bismuthi et Stanni maceratis sufficienti modo coxi. In decocto Fol. Vitis vinif. omnia cinereo tingebantur colore, illis exceptis, quae Stanno antea praeparata fuerant, quaeque colorem egregie luteum ostendebant, qui etiam neque a saponis solutione, neque ab Aceto mutabatur. Idem fere euenit cum Cerasi fol., a Vitr. Mart. nigricantem, a reliquis luteolum, a Stanno autem perfecte luteum, Lana in primis et Sericum accipiebant. Iuglandis folia,

cum

❧

cum Alumine cocta, in lana et reliquis pigmentum luteum relinquebant, quod vero in illis, Vitr. Mart. Cin. Clav. et Terra aluminosa maceratis vilius, cum Stanno autem et Bismutho tractata dilute et saturate colorem luteum recipiebant. Decoctum cum Alumine paratum ostendebat sedimentum, quod in filtro persistebat, exsiccatumque et papyro illinitum colorem relinquebat ex luteo viridem, quo commode pictores vti possent. Decoctum fol. Corni maris bruno colore tinctum, addita solutione Zinci saturate viridem et Spir. salis acido rubicundum praecipitabatur sedimentum, quod vero exsiccatum terrestrem modo referebat puluerem. Pannaria autem, quae cum Bism. et Stanno macerata erant, egregie luteum et cum Vitr. Mart. nigrum ostendebant colorem; residuumque Decoctum eundem quoque retinebat colorem, pigmento vero illud inferire non potest, cum Litterae papyro inscriptae admodum pallidae euaderent. Liriodendri Tulipif. decoctum colorem assuniebat saturate brunum et odorem spargebatur grauein, admodum nauseosum; quocunque modo praeparata erant Textilia, idem fere viride luteum obtinebant pigmentum, Lana et Serico exceptis, quae saturatum et egregie luteum colorem ostendebant. Tiliae Europ. decoctum, saturatum, aſi pellucide brunum, addito Vitr. Mart. nigricans, Sal. Ammon. et culinari imminutatum, Spir. Sal. acido dilute rubicundum, sol. Alum. dilute brunum cum copioso sedimento, sol. Zinci viride cum eiusmodi praecipitato. Texta nulla praemissa maceratione fordide argillaceum et ex praeparatis illa, cum Stanno, Bism. et Aluminis terra, in primis Sericum, luteum, splendore insigni praeditum colorem recipiebant. Rhus Sumach decoctum saturate brunum a sale Ammon. et culinari immutatum, a Spir. Sal. acido dilute rubicundum, ab Alum. luteolum, a Vitr. Mart. et Zinco nigrum; Lana et Gossypium Vitr. Mart. saturatum, egregie nigrum obtinebat colorem, vt cum residuo decocto litterae papyro inscriptae eundem relinquebant; Sericum magis in violaceum, Linum et Lana in nigricantem inclinabant colorem. Lana et Gossypium aceto macerata immutatum retinebant; Stanno praeparata omnia egregie luteum colorem assumebant; qui etiam remanebat in Lana, Serico et Gossypio, licet affusum fuerit acetum.

\* 3

Nolo



Nolo plura cum foliis aliarum arborum deciduis instituta experimenta recensere, quippe ex his satis luculenter appareat, luteum colorem communem fere esse regno vegetabili et recte scripsisse GLE-DITSCHIVM: *Mehrere Blätter, wenn sie vertrocknet abfallen, können mit einer Lauge von Alaun zum Gelbfärben dienen.* Vid. *Schriften der Berl. Naturforsch. Gesellschaft*, Vol. IV. pag. 204. Eodem itaque successu, si hunc colorem spectamus, folia et viridia et arida adhiberi poterunt, et hinc a deciduis nullum singularem usum obtinemus. Forsitan autem propter coeruleum pigmentum, quod minus frequens in vegetabili regno occurrit, aestimari debent nonnullarum arborum decidua folia; id quod vnico nunc tantummodo exemplo comprobemus. Punicae Granati folia die 14. Octbr. delapsa, in aqua aluminosa proprium, ex rubro et viridi variegatum colorem diu retinebant, tandemque ex cinereo luteolum admittebant, decoctum ipsum erat quasi argillaceum. Textilia illa consueta cum alum. et ciner. clav. praeparata, sorride cinereum; cum Bism. argillaceum, et cum stanno, lana in primis, egregie luteum, cum Vitr. Mart. autem omnia coeruleum (*franz-blau*), colorem ostendebant. Haec ita tincta, in aqua, aceto, et saponis solutione macerata, immutata persistebant et exsiccata dubium reddebant spectatorem, an color pro saturate coeruleo, an potius nigro haberi debeat. Quod certe experimentum invitare debet Tinctores, vt cum aliarum arborum foliis deciduis pro confiendo coeruleo pigmento eadem repeatant. Sufficiet nobis vnam inuenisse, quae quotannis folia dimittit quaeque descripto modo praeparata elegantem et constantem tinturam exhibeant.

Haec de Foliis deciduis dicta sufficient. Restat, vt commendeimus

### VIRVM

NOBILISSIMVM ATQVE DOCTISSIMVM  
IOSEPHVM LUDOVICVM SCHMIDL  
DRESDENSEM  
MEDICINAE CANDIDATVM DIGNISSIMVM,

Qui, quibus usus sit Parentibus et qua vitae ratione, more consueto,  
Ipsa recenset.

*Ego,*

Ego, JOSEPHVS LYDOVICVS SCHMIDL, natus sum Dresdae anno 1772.  
 Parentibus adhuc, quod inter summa Dei beneficia numero, viuentibus,  
 nimurum JOSEPHO SCHMIDL, qui Celsissimo Principi Saxon. ANTONIO  
 a Ministerii cubiculariis est, et THERESIA, e gente BAVMGARTENIANA.  
 Anno 1781. Pater me misit in Gymnasium Brixense in Bohemia. Qua-  
 driennio ibi consumto, scholas Dresdanas frequentavi. Anno 1793. Würze-  
 burgi studia altiora, in primis medica, tractare incepi, ibique audiui Philo-  
 sophiam apud Excell. REVSS, lectiones Mathematicas apud Excell. SCHWABE;  
 Physicas apud Excell. EGEL; in Medicina autem usus sum doctoribus se-  
 quentibus, nimurum Illustr. SIEBOLD, Patre a Consiliis aulicis Princip. sui,  
 qui Anatomiam theoreticam et practicam me docuit, ducente simul HES-  
 SELBACHIO. Prosect. Exper. b. SENFT, Vir mihi semper venerandus,  
 mihi tradidit Physiologiam, Pathologiam, Semioticam, Therapiam gene-  
 ralem. Chemicals lectiones debo Exper. PICKEI, Pathologiam GUTBER-  
 LET et Medic. legalem, et HEILMANNO cognitionem Rei herbariae et Ma-  
 teriae medicae. Praecepta chirurgica audiui ab Illustr. SIEBOLD. Patr.  
 Ut quoque notitiam mihi colligerem medicinae militaris frequentavi Nosoco-  
 mia castrensa Exercit. Saxonico. ann. 1795. ubi Dunmuri, Exponentissimi  
 Medici castrenses Dr. RASCHIG et PESCHECK, commodissimam mihi luben-  
 ter fecerunt occasionem laudes suas in praxi militari partas admirandi.  
 Febris autem castrensis Dresdam me mox relegauit, ubi in studiis continuans  
 dis occupatum me tenuerunt lectiones Obstetriciae Dn. WEISSII, Anatomicae  
 Exper. HAEHNELII, et Dexterrini Prosectoris HEDENII. Anno 1796.  
 Ienam abii, ubi Viri Illustr. atque a Conf. aulic. LODERVS, STARCKIVS,  
 ac HYFELANDVS theoreticam ac practicam Medicinam mihi proposuerunt,

pro



*pro ea, qua Academiam suam ornant, celebritate. Psychologiam me docuit  
Excell. SCHMIDT.*


OIMOTV

Addamus his: Clarissimum Candidatum ad nostram demum  
accessisse Academiam, atque petuisse, vt in numerum Candidatorum  
reciperetur, Eumque in instituto examine ad propositas quaestiones  
optime respondisse, atque dignum inuentum fuisse, summis in Me-  
dicina Honoribus suscipiendis, lubenter fatemur. Ultimum itaque  
Specimen Academicum in Dissertatione, proprio marte elaborata,  
*de Rheumatismo*, sub Praesidio Excellentissimi TITII, Anat. et Botan.  
Prof. defendenda die XVIII. Mens. Maii exhibebit. Cui solennitati vt  
adsint RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMI-  
TES ILLVSTRISSIMI, PROCERES GRAVISSIMI, COMMILTONES GE-  
NEROSISSIMI, NOBILISSIMI, eamque sua praesentia splendidiorem  
reddant, ea, qua par est, obseruantia ac humanitate rogo.

= = = = =







Iosephus LUDOVICVS SCHMIDL, natus sum Dresdae anno 1772,  
arentibus adhuc, quod inter summa Dei beneficia numero, viventi-  
nirum IOSEPHO SCHMIDL, qui Celsissimo Principi Saxon. ANTONIO  
erius cubiculariis est, et THERESIA, e gente BAVMGARTENIANA.  
81. Pater me misit in Gymnasium Brixense in Bohemia. Qua-  
ibi consumto, scholas Dresdanas frequentauit. Anno 1793. Wurze-  
udia altiora, in primis medica, tractare incepi, ibique audiui Philo-  
apud Excell. REVSS, lectiones Mathematicas apud Excell. SCHWABE;  
apud Excell. EGEL; in Medicina autem usus sum doctoribus se-  
us, nimirum Illustr. SIEBOLD, Patre a Consiliis aulicis Princip. sui,  
atomiam theoreticam et practicam me docuit, ducente simul HES-  
CHIO. Prosect. Exper. b. SENFT, Vir mibi semper venerandus,  
adidit Physiologiam, Pathologiam, Semioticam, Therapiam gene-  
Chemicas lectiones debo Exper. PICKEL, Pathologiam GVTBER-  
Medic. legalem, et HEILMANNO cognitionem Rei herbariae et Ma-  
dicinae. Praecepta chirurgica audiui ab Illustr. SIEBOLD. Patr.  
que notitiam mihi colligerem medicinae militaris frequentauit Nosoco-  
trensis Exercit. Saxonicor. ann. 1795. ubi Dumuiri, Experientissimi  
castrenses Dr. RASCHIG et PESCHECK, commodissimam mihi luben-  
erunt occasionem laudes suas in praxi militari partas admirandi.  
autem castrensis Dresdam me mox relegauit, ubi in studiis continuans  
patrum me tenuerunt lectiones Obstetriciae Dn. WEISSII, Anatonicae  
HAEHNELII, et Dexterrimi Prosectoris HEDENII. Anno 1796.  
abii, ubi Viri Illustr. atque a Conf. aulic. LODERV, STARCKIUS,  
FELANDVS theoreticam ac practicam Medicinam miki proposuerunt,

pro